



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Festum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

F.

Falsarius.

Falsare monetam, crimen est læsæ majestatis; falsa autem dicitur, facta sine legitima auctoritate, materia, aut pondere, aut signo; tondere autem extuberantem monetam, falsare non est, etsi peccatum est; est verò falsarius, qui justum pondus minuit.

De falsariis Lopez p. 2 c. 43. De eorum peccatis Navar. c. 17 à nu. 167 Falsa) Navar. l. c. n. 167. vid. Syl. falsarius. 7. 8. Peccatum) cum onere restituendi. Navar. l. c. nu. 278. Sylv. falsarius. n. 10. 11. Fu. 10.

Qui sciens falsis numis, ponderibus, scripturis utitur, mortiferè peccat cum onere restituendi. Nav. Lop. l. c.

Non licet a missæ scripturæ de hereditate aut nobilitate, aliam similem facere, etiamsi nulli fiat injuria; sicut neque licet convento super mortuo, quòd jam solverit, falsum solutionis instrumentum producere. Cou. lib. 1. var. resol. c. 2. n. 3.

Familia.

Familia dicitur usque ad quartum gradum, itaque omnes etiam gradus quarti, dicuntur familiares: itemque omnes famuli, etiam extra domum habitantes. Syl. Famil. 1. 2. vers. familiares.

Familia Episcopi gaudet privilegio fori, non autem familia Ecclesiæ, Abb. in c. nullus n. 6. de for. comp. Vid. c. si. de offic. Archid. Ang. Fam.

Festum.

Vide v. Decalogus.

Festum potest princeps, & civitas indicere; sed sine obligatione missam audiendi vid. Nav. c. 13. Tol. l. 4. c. 24.

Festum ab Episcopo indictum non obligat, si populus ex causa rationabili non acceptat vid. Armill. ver. Festum. n. 5. cum Pan Quod si receptum est, debent servare etiam religiosi exempti. Non potest autem ipse indicere sine clerici, aut Capituli consensu vid. c. conquestus de feriis.

Ad

Ad festa majorum voto, aut juramento recepta tenentur quidem populus; sed non sub obligatione voti, aut juramenti, est enim hæc personalis. Non potest Episcopus prohibere, alioquin in festo licita, causa necessitatis, aut pietatis, quod si sub excommunicatione prohibeat, nulla est excommunicatio, secundum Navar. c. 13. n. 15. Lopez l. 1. col. 5.

Excusat à festi observatione metus justus, necessitas, putras, utilitas publica, vitatio damni corporis, vel animæ, dispensatio Episcopi, vel parochi, ubi is solet dispensare, Vid. Nav. & Sylv.

Circa festi principium, & finem servanda est Ecclesiæ consuetudo, ubi autem à vespere incipit, excusantur barbitonfores, in vigilia laborantes, concessione Eugenii IV. secundum Nav.

Feudum, emphyteusis.

Vide v. *Alienatio.*

1. Emphyteusis est contractus, quo quis tradit rem suam immobilem alteri quoad dominium utile, sub certa pensione reali solvenda in recognitionem domini directi. Emphyteusis alia est perpetua, alia temporalis, alia Ecclesiastica, alia communis sive profana, alia nova, utpote quæ primo instituitur; alia est vetus & antiqua; alia denique est hereditaria, quæ concedi solet pro omnibus heredibus, quamvis extraneis; alia verò familiaris, quæ conceditur solum pro his qui sunt de familia. tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 8. punct. 1. num. 1.

2. Feudum (à fide seu fidelitate sic dictum) est contractus, quo quis tradit feudatario, sive vasallo rem suam immobilem quoad dominium utile, cum onere obsequii & servitii personalis; & in hoc scilicet ratione pensionis differt feudum ab emphyteusis; nam quatenus pensio est personalis, id est, consistens in obsequio personali, dicitur feudum; quatenus verò pensio est realis, id est, consistens in pecunia, vel frumento, vel alia re simili, dicitur emphyteusis. ib. n. 2. §. 3.

3. Jus commune hæc præscribit condiciones ad contractum emphyteuticum; nimirum ut contractus emphyteuticus celebretur per scripturam, nisi aliter receptum sit alicubi per contrariam consuetudinem; ut contractus fiat de rebus